


Du Moulin, Louis

Declaratio regnorum Angliæ et Scotiæ, fœdere armis ...



Tryck // / I25 B11c Br. 1644 Declaration

Tillkomstår 1645

Digitaliserad år 2019



National Library
of Sweden

Declaration

*Min
Angl
1644
1644*

DECLARATIO REGNORUM ANGLIÆ ET SCOTIÆ

Fœdere & Armis junctorum
pro vindicanda communi causa
Patriæ Religionis, & Libertatis, adversus
sceleratam factionem
Episco-papisticam.

Promulgata ab utraque Camera
Parlamenti Anglicani, nec non a
Conventu generali Ordinum Scotiæ,
Anno 1644.

CUI

Præfixa est Declaratio Regni
Scotiæ, in qua exponuntur apud
fratres Anglos causæ præsentis in
Angliam expeditionis,
Et subnexa Epistola Reverendi
Cœtus Ecclesiastici &c. unâ cum
Fœdere Nationali.

LONDINI,
Excudebat EDW. GRIFFIN. 1645.

Admonitio.

Admonetur in limine Lector Epistolam
 Reverendi Cætus, nec non foedus Na-
 tionale, ante annum & quod excurrit, singula-
 res & seorsim produsse; Nunc vero iterum
 recusas & hisce Declarationibus, quas demum
 Latine damus, adjunctas fuisse, quo per id sa-
 sciculi opusculorum, plenius constet fratribus
 extra magnam Britanniam, quæ sit rerum
 nostrarum demi turbatarum conditio in causa
 religionis; quod armorum jus in patriæ Re-
 ligionis propugnatione; quidve animus posthac;
 quodque consilium sit fœderatis utriusque
 Regni, ad finem imponendum nostris calami-
 tatibus.

LONDINI

Excusabitur H. W. GRIFFIN. 1644.

(I)

DECLARATIO
 REGNI SCOTIÆ
 IN QUA

Exponuntur apud fratres Anglos
 causæ præsentis expeditionis
 in Angliam.

Satis superque constat apud æquos rerum æstimatores, qui-
 que res Protestantium fœlices esse cupiunt, penes nos
 causas esse plurimas, justas, graves & idoneas, cur cre-
 damus fratres Anglos, post tot Pontificiorum, eisque ad-
 dictorum hominum, machinationes cruentas & barbaras,
 tum in Anglia, tum in Hibernia, editas ac toleratas; quibus pro-
 fessores purioris religionis mi èrè etiamnum affliguntur, eorum-
 que libertas non solum impetitur, sed & penè proculcatur; facile
 adductos fuisse, ut auxilia & suppetias exposcerent a fratribus
 Scotis, quorum illustribus documentis experti essent animum
 benevolum; quosque semper accinctos scirent ad religionem &
 libertatem sartam tectamque promptis animis & viribus asseren-
 dam: verum nos non latent satanæ artes & quæ adhibet instru-
 menta ad suppeditandum & alendum fomites præjudiciorum &
 suspicionum inter fratres; quos simul ac partium studia in discor-
 diam eruperint, disfitos a se invicem animis seorsim facilius com-
 mittendum & perdat; cum tamen si salvi esse volumus, non com-
 mittendum sit, fratres Anglos & Scotos, temporum & periculo-
 rum consortes, atque arctissimo fœdere junctos, animis & armis
 a se invicem segregari; reputandum potius unam causam sustineri,
 unam salutem expectari, unumque fratribus Anglis juxta ac nobis
 periculum impendere. Quocirca nequa suspicio, admiratioque
 inhæreat bonis mentibus, quod alteram in Angliam suscipiamus
 expeditionem, cui non minus aspiraturum confidimus Deum ex
 voto & è re Anglorum, ac altera Dei benedictione cessit in no-
 strum emolumentum; neve quicquam obstet quo minus ambabus

(2)

ulnis excipiamur, & experiamur per omnia concordēs & nobiscum conspirantes fratres ad promovendam religionis reformationem, & asserendam Regis auctoritatem & dignitatem, patriamque libertatem vindicandam; consultum nobis visum est evulgare in antecessum hanc Declarationem citra fucum exaratum, quæ causas & rationes novi adventus in Angliam edisserat, testeturque ob quem finem a nobis intendatur. Hoc pacto nemo fratrum erit, nisi qui ultro vi rationis non vult vinci, qui legitimas adventus nostri causas non existimet, & eo nomine nos amanter non excipiat & complectatur.

Ante omnia occurrit jurtitia causa nostræ in apertum profertenda, eoque magis quod non desint homines spiritu filii perditionis & mendacii afflati, quibus solenne est, quod declinare non possunt criminari; quique ut invidiam nobis creent, instillatum libenter vellent, nos ea gratia advenisse ut quantum ex vestra calamitate caperemus; nos specie boni publici privatas utilitates obvelare: Quam calumniam in irritum casurum & contrario eventu obrutum iri confidimus, ut non opus sit vos rogare ne auribus, nedum animis ejusmodi probra admittatis. Ea est actiorum præteritarum, mentisque sinceræ in prioribus Declarationibus texendis conscientia qua jucundè fruimur, sanctaque promissorum per omnia observatio ut non dubitemus ad experientiam & conscientiam quam habuistis nostræ fidei provocare; & quod prius dictum oportuit, Deum cordium scrutatorem, & eorum quæ a nobis in causâ utriusque nostrum communi antea sunt, testem advocare: Novit Deus quam justæ & graves causæ sint expeditionis hujus suscipiendæ. Permoveat pietas erga Christum, & erga proximum charitas, quæ jubet Christianos mutuam sibi dare operam; lex naturæ suadet non tantum, sed & persuadet ut quisque sui conservationem quarat, & periculum imminens, ruinamque impendentem procul a se arceat.

Jam cui non liquido patet salute fratrum Anglorum, nostram quoque contineri? nostraque referre fratres & vicinos a casu vindicare ne ipsi cadamus? Postulat insuper officii nostri ratio ut vobiscum operam sociemus in liberando Rege a turba maleficorum consiliariorum, cujus dignitatem & auctoritatem juxta atque patriam religionem & libertatem proculcatum eunt: Sane nisi justam causam sustineremus & legitimè acciremur a vobis; nec

impenderet

(3)

impenderet ex nostra quiete utrique regno ruina: potius è re nostra & magis ad securitatem propriam fuisset, domi nos continere, quam ingredi domos vestras contentionum sacrificiis flagrantibus, & una versari in periculo malam pro beneficio incundi gratiam. At iterum contestamur coram Deo & hominibus, nihil doli & fuci in pectoribus nostris inesse, eaque in hac causa nescia esse fraudis & dissimulationum, nullas a nobis parari artes, nullaque consilia agitari alio fine, nisi quatenus exprimitur in Fœdere nationali, quò arctissime vobiscum conjuncti sumus; nempe ut Religio conservetur, ejus reformatio promoveatur; autoritas & Regium decus asserantur; pax & libertas ambobus regnis concilientur. Hæc omnia cum existimemus in extremum discrimen adducta, artibus maleficæ societatis, Papistarum & Præsulum, eisque addictorum, qui soli hodie, seu Angli, seu Hiberni, gratia validi sunt apud Regem; excordes essemus si illis non commoveremur; Quocirca, non ulterius rogamus Deum benedicat nostris laboribus; quam quatenus impendantur stabiliendis & asserendis, quæ per partes modo memoravimus.

Ne autem desit justæ causæ legitima vocatio, declaramus, quamquam Anglis non vocantibus, etsi non adversantibus, nullâ aliâ causâ moti hanc expeditionem susciperemus, quàm privato nostro commodo, ita tamen ut unâ prodessemus fratribus nostris Anglis; eâdemque operâ & Anglos & Scotos a ruina vindicarem, nos tamen legitima de causâ & a Deo vocari: Nam quî possumus diu intacti permanere dum vicinia fratrum accensa est? aut quis nescit res Anglorum & Scotorum sic complicari, ut utrosque maneat una, perinde salus ac ruina: Verum quò ora malevolorum obrurarentur, nec quicquam deesset legitimæ vocationi; atque ut tanto magis teneremur hocce Christiano officio fratribus accommodando; factum est, sic dispensante Dei sapientiâ & providentiâ, ut Ordines Angliæ suos Delegatos ad nos allegaverint, qui ipsorum nomine arctam nobiscum societatem exposcerent: Nempe Illustrissimi Proceres & Senatores, pro sua prudentia & sedula cura qua toti incumbunt securitatem nostram securitate pacificendam, confisi nos promptos affuturos auxilium petentibus, sibi rem esse cum hominibus grati animi, haud dubium dignas grates repensuris pro grandi beneficio accepto ante triennium; quo quidem tempore, cum

Rex

(5)

Rex contra nos bellum pararet, non habuit ordines Angliæ consilio suffragantes; quin potius reluctantes expertus est. Quantum eo nomine devincti simus fratribus Anglis, quantumque falsi fuerimus nos devinctos, testantur Declarationes evulgatæ sub primordiis prioris nostræ in Angliam expeditionis.

Non refert quod expeditioni præsentī non habeamus Regem consentientem: Nam, non, si Rex cinctus est fraudulenta indagine pravorum consiliatorum, quorum manus non, si vellet, posset effugere, minus partium nostrarum est, pro nostra in Deum pietate, pro observantia erga Regem, & testificatione grati animi nostri, propter beneficia a fratribus in nos cumulatè collata, in rem præsentem progredi, consulendo ejus honori, Regiæque progeniei, atque trium regnorum salutī.

Denique quod attinet ad modum & rationes quibus justam causam & ad quam legimè vocamur profèqui consilium est, declaramus, quandoquidem hæcenus tot libelli supplices & postulatæ utriusque regni nomine Regi oblata, irriti fuerint, nec ulla nisi in armis spes esse videatur; Statutum esse armis aggredi, non Regem ipsum, nec quenquam fidorum subditorum, sed qui eum circumstant & obsident, perniciosos homines, adultores & consiliarios mentis maleficæ, alioque qui reipsâ infensissimi sunt Regiæ authoritati & perduelles merito audiunt: Dabimus tamen operam ut licentia militibus solennis reprimatur, singuli furto, rapinis & rapto abstineant, nec quenquam nisi jussi lædant, sed quâ par est modestiâ, quamque decet milites Christianos se gerant & Ducum imperiis sint audientes. Quâ in re, est quod in conscientiæ propriæ testimonio nobis gratulemur, animo revolventes, quam placidus fuerit noster in Angliam alter ingressus, quantulis damnis solum Anglicanum calcaverimus: Hæc ut experti estis cum necessitate nostra impulsī in Angliam venimus; sic non dubitamus, quin adventum hunc quem vestra necessitas flagitavit, perinde tranquillum & sedatum experturi sitis; Quin imo bona fide spondemus conatum a nobis duplicatum iri ut exercitus noster exemplum sit modestiæ & compositorum morum. Caterum, usurpatam, novo præjudicio, appellationem exterorum & advenarum, qua signari solemus, molliet vel præcidet fœdus quo in unam quasi gentem coivimus: Quoque ejusmodi præjudiciis eatur obviam; Ordines Angliæ, pro sua sapientia, itionum nostrarum inspectores & comites viæ constitue-

runt

(6)

runt, eosque maximam partem selectos ex Senatorum confessu, viros graves & fidos, sine quorum opera & consensu constitutum est nihil a nobis decerni & consuli in medium. Agite ergo quot quot boni estis, seponite diffidentiarum & suspicionum irritamenta: ne estote ingeniosi in exaggerandis causis malignarum suspicionum; neque aurem præbete viperinis linguis, quibus ipsa virtus vitium est, quique honestè acta tanto gravioribus dièternis onerant; facescant fictæ criminationes, quibus malevoli homines nos in odium & invidiam vocant, quasi auream messem ex vestra calamitate meteremus, & occultis artibus quas arte tegimus, jura libertatis vestræ impetitum iremus. Quis credat ideo junctas dexteras fidei & amicitia cum nostro sanguine, cum fratribus, qui & linguæ consortio, & Religionis patriæque societate, & sanctissimæ necessitudinis pignore nobiscum conjuncti sunt, ut famam & sacrum fœderis vinculum tantâ perfidiâ tantoque scelere abrumpemus. Sed ut omni liberemini suspitione, Scotiæ regnum fidem suam publicam interponit Anglis, fore, ut fides data & promissa factis impleantur, (ut habetur in Instrumento contractus inter Anglos & Scotos initi) nec alio fine ingrediamur Angliam quam qui fœdere continetur, & exprimitur in dicto contractu, cui Delegati utriusque regni nomina apposuerunt. Porro sicut fratres a nobis expectare debent facta, quæ huic Declarationi respondeant, sic denuntiamus maleficis hominibus & fœderi adversis, ad quod & ipsum fœdus nos astringit, eos gravissima quæque sine personarum delectu, a nobis passuros: Quapropter quascunque pœnas luerint, sibi imputent, & proprii seu exitii seu damni, authores se esse reputent: nec a iter quenquam sanæ mentis de illis judicaturum confidimus.

Tandem, quandoquidem vestro incendio extinguendo aquam paremus & afferamus superinjiciendam, fratribusque satis compertum sit arma a nobis sumi non bellandi causa, sed ut pacem fidam, tutam et permanentem procuremus, ut secura tranquillitas Britannis & Hibernis Religio & Libertas patria affulgeat, atque ut improbis a Regis contubernio amandatis, probè post hac Regi populus congruat; cumque ratio fœderis solenniter initi, nos Scotos attringat ad propugnandum & defendendum omnes ex æquo qui se fœderi huic adjungunt; vicissim a fratribus Anglis Regi & patriæ fidis, zeloque Protestantis Religionis

(8)

ligionis calentibus, expectamus ut concordibus animis & partium studio vacuis, socient nobiscum arma, & operam, ad adaptionem finis, ad quem communi contentione collimamus: Eo adepto illico patriam repetemus læti & fœlices, imprimis pace & veritate stabilitâ per universas Regis ditiones.

Arch. Primirosius.

Declaratio

D
R
Fo
V
I
fi p
deh
lux,
tam
ipfs
digni
Sanè
tates
Angl
haut
tanqu
cujus
causas
inma
alio

(7)

DECLARATIO REGNORUM ANGLIÆ ET SCOTIÆ

**Fœdere & Armis junctorum
pro vindicanda communi causa
Patriæ Religionis, & Libertatis, adversus
sceleratam factionem
Episco-papisticam.**

Non magnopere opus fuisset novam hanc Declara-
tionem evulgare, quâ plenius sensus nostros explica-
remus, & certiores adversarios faceremus de nostra
constanti voluntate, quâq; de novo tentarem hor-
tationibus nostris eos ad bonam mentem revocare;
si post tot libellos supplices, scripta, rescripta, chartas hortatorias &
dehortatorias publici juris factas, vel minima in eis reperta fuisset
lux, non dixerimus timoris Domini & Christianæ veritatis, quæ
tam clarè inter nos fulget, sed meræ puræ putæ charitatis innatæ
ipsis ethnicis & Christi ignaris erga proprium solum; aut Regis
dignitas & felicitas quo par est affectu ab illis æstimatæ fuissent.
Sanè si post tot tumultus excitatos in Scotia, tot strages & calami-
tates acceptas in Hibernia, totque crudeles Tragœdias actas in
Anglia, potuisset scelerata factio, quacunque alia ratione domari;
haut confugissemus ad hanc armorum consociationem, quam
tanquam salutis aram & ultimum perfugium amplectimur. Deus,
cujus judicia sunt abyssus, viæ rectæ, opera sancta, penes se habet
causas controversiæ nobiscum, & cum tota insula. Nam quis
inquam fando credidisset, insulam, quæ apud vicinos invidiæ fuit,
aliorum insultuum securam, propria vi felicem, & virtute tutam,
discer.

B.

(8)

discerptum iri aliquando a domi natis, & ruina potius propriâ quam alienâ protritum iri?

Ante omnia, in hac miseranda calamitate, sub qua ingemiscimus; declaratum volumus, profiteremurque, quicquid in nobis inest virium & consilii, id totum apud Deum Opt. Max. Exercituum Dominum collocatum esse; nos in ejus auxilio planè conquescere, certos Deum gerere curam populi sui, eique cordi esse propriam causam & veritatem, quam una cum omnibus Protestantibus Ecclesiis defendimus, quæque fortiter asserta fuit testimonio & sanguine tot Confessorum & Martyrum adversus hæresim, superstitionem, & tyrannidem Antichristi; nec nobis alium scopum, finemque propositum, quam ut gloriam Dei promoveamus, Jesu Christi regnum ampliemus, Ecclesiam ejus sartam tectamque conservemus, & insulæ hujus saluti consulamus; quo minus a perditis hominibus funditus ruat & pereat. Porro Deum annuere inceptis nostris fidem facit, quod hanc sanctam mentem suggesterit utrique Nationi, sacro eius fœderi nomen & calculum apponendi; seque tam solemnî pacto devinciendi: Hanc enim gratiam non indulsisset Deus, si apud se statuisset nos e medio tollere: Quin, tot vôtâ & supplicationes hisce postremis annis peractæ; tot preces cum ejulatu & ploratu nuper conceptæ, nec non tot jejunia in pulvere & cinere instituta, quibus flecteremus Deum, cui soli facultas nos præsentissimo periculo eripiendi, spondent nobis largam segetem felicitatis & liberationis accessuram, eamque prope instare: At contra adversariorum apostasia, atheismus, idololatria, profanatio, sævitia, luxus, & contemptus pietatis, eo cumuli pervenerunt, ut, nisi extraordinaria poenitentia tacti Dei judicia avertant, quod quidem nedum per somnium in eorum mentem venit; manet illos terribile & præsentissimum excidium.

Propter has & ejusmodi causas & rationes certò persuasi hocce bellum, quo decertando utraque natio firmissimo virium & animorum nexu devincta est, Deum authorem, saltem approbatorem habere; statuimus apud nos decrevimusque viriliter rem ipsam aggredi. Faciat, qui dedit animos Deus, & in conspectu nostro vexillum sustulit & classicum pulsavit, quod bonum ipsi videbitur.

Secundo loco, quod spectat eos qui hanc causam pro virili tutati sunt; quantumvis debeant operæ præmium expectare a Deo qui unum

(9)

unumquenque secundum opera sua compensat; Nihilominus, in conscientia nostra aequitate, invenimus causas dec arandi, rationem meriti & jacturae habitum iri omnium & singulorum, tam qui sponsorem habent fidem publicam, quam qui a primis exordiis rerum domi turbatarum, fide & fortitudine qua par est & pro virili se gesserunt in hac causa; quique potius duxerunt bonorum expilationem & durissima quaque pati, quam infesta arma in religionem & patriam vertere: Horum, modo, in proposito gnaviter causam tuendi & quidvis in ejus gratiam patiendi ad finem usque perseverent; statutum est cum bono Deo damna rependere, quantum fieri poterit, & prout aequum & justum pronuntiabunt pro sua sapientia & aequitate, Ordines utriusque regni; ut qui bona perdiderunt pro patria causa, restitutionem, jacturam coaquantem; qui viros se & strenuos in consiliis & in re bellica praestiterunt, honorum decus & primum, atque rei familiaris novam accessionem expectare debeant. Denique sic, quisque rationes computet, nullum genus dignationis & gratissimi testimonium, pratermissum iri, quibus vel passi gravia subleventur, vel qui fortiter rem gesserunt in bello, honoribus & premiis ad gratiam apud posteros recordationem concedentur.

III. De illis qui neutras secuti sunt partes, periclitante religione & patria, & conflagrante omnia belli & intestinarum discordiarum incendio, quibusque solenne est, consilium & animum non ex Dei verbo & dictamine conscientiae, sed ex eventu sumere; quandoquidem sint invisi Deo, qui jubet omnes esse veritatis acerrimos propugnatores, atque in eos tanquam reos & perduelles ubique locorum semper animadversum fuerit; declaramus admonemusque ejusmodi, ne posthac sibi in ea indifferentia placeant, sed quamprimum foederi se ascribant & junctis viribus accingant se ad defensionem communis causae, refarciantque prateriti temporis dispendium, duplicato zelo: id longe cautius & tutius consilium futurum; alioquin perseverantes in hac spontanea negligentia, declaramus, reputari a nobis pro infensis hostibus religionis & patriae, eadem punishmente involvendis, cum malignos spiritus gerentibus & apertis hostibus.

IV. Porro quoniam complures promiscuae plebis, partim ignorantia

(10)

norantiã causã & sub specioso prætextu, partim compulsionẽ & minis, atque præter conscientia dictamen pertracti fuerunt ad socianda arma cum hostibus, adversus religionem propriam & natale solum; declaramus omnes & singulos milites de face gregaria, pro pœnitentia & humili præteritorum delictorum agnitione veniam impetratos, & inter fœderatos numeratum iri, ita tamen ut ad pœnitentiã verã fidem faciendam sine mora fœderi subscribant, & fœderatorum armis se adjungant: sin minus, tanquam in reos & obnoxios statuere certum esse.

V. Quinto loco, quoniam nonnulli ex Gente Scotica studiis propriis addicti, & speciosas causas obtendentes in partes Episcopales concesserunt, armaque intulerunt in ordines & regnum Angliã, parum memores, qui fuit hominum pravus super; quanto hoc facto officerent Scotorum rationibus; Angliam non posse peti quin Scotia imperatur: eandem causam utrique regno vel salutem vel ruinam allaturum, hostibus statutum esse arma ab Anglis ad Scotos convertere: Hos itaque, cujuscunque sint ordinis & conditionis hortamur, monemusque ut deserta factione detestanda errores confiteantur, amplectanturque causam Dei & fœdus Nationale ante proximas calendas Martias. Si quicquam tale detrectent: Nos qui Angli fœderati, declaramus, frustra eos in nostra benignitate spem veniã reponere; reputatum iri a nobis hostium loco de maligniori nota: Nos vero Scoti fœderati in eandem sententiam pedibus imus, declaramusque sic apud nos statutum esse, Scotos deprehensos in armis contra Anglos fœderatos post constitutum diem Calendarum Martiarum & detrectantes, afflictis ac in discrimen adductis rebus propriã patriã, sociare operam & arma cum fœderatis, tum Anglis tum Scotis, ad defensionem causã communis; prosecutum iri a nobis tanquam si essent perduelles fœdistragi & insensissimi religionis hostes, multatumque iri publicatione bonorum, quã in publicos usus convertantur.

VI. Sexto loco quod attinet ad Comites, Barones, Equites auratos, nec non inferioris ordinis nobiles & generosos civesque ac oppidanos, qui magno numero, dum adversi fuerunt Parlamento seque adjunxerunt insensibus Religioni, Regiã felicitati & paci amborum regnorum hominibus; hoc ipso scissurã ac dissidiã in-

ter

ter Regem & ordines Angliæ longe graviores auctores existeret
 atque, quod, in extremum pene discrimen, saltem utrius-
 que regni adducit, eadibus innocuorum, stragibus, & ca-
 lamitatibus Angliam & Hiberniam compleverunt; utcumque a
 nobis non ponatur inter eos, quibus auctoribus & compulsibus
 Ecclesia & respublica exarterunt in hocce civilis belli incendium;
 quique religionem & patriam pestifera datura cunct; Declaramus,
 si intra calendas Martias proximas, ad bonam mentem & partes
 fœderatorum redierint, pacem respublicæ, Religionis decus &
 reformationem hauri cunctanter prosequentes, gratiam vitæ & li-
 bertatis consecuturos; ita tamen, ut ad discrimen eorum qui con-
 stanter & continenter ab ipsis belli primordis fœderatorum partes
 secuti sunt, ab his qui nuper transfuge, de eorum bonis iustus ac-
 cidatur valor quo damna publica resarciantur & privatorum dis-
 pendia rependantur; æquum esse, ut, qui magnam partem ac-
 cessaverunt & fovissent Respublicæ & privatorum calamitates, in
 illis reparandis non nihil in fortunis partiantur, & excedant quod
 ipsi intraverunt: qua in re viderit prudentia ordinum regni An-
 gliæ, vel ab eis ad id delegatorum, quid facto opus sit, quod
 temperamentum servandum, quæve proportio demenda de bonis
 obnoxiorum; qui quidem experientur supream curiam magis
 benignam erga nocentes ne sinitus perant, quam rigidam in
 interroganda multa, quæ gravitati offensæ respondent. Insuper
 ratio habebitur quam cito & expedite, quam tarde & cunctabunde
 se adiungunt, quo affectu, quæve animi alacritate, delectationis utri-
 ram redimunt & promoveant causam publicam: alioquin in ob-
 stinatione & armis contra religionem & patriam perseveran-
 tibus ultra calendas Martias, denuntiamus eandem ruinam im-
 pendere quæ imminet perduellibus & sceleratis hostibus religionis
 & patriæ.

V I I. Septimum, quandoquidem factio Papistarum pro dicta-
 mine pontificiæ religionis, molita est alterationem religionis
 in hac insula, & eorum qui eam profiterentur extinctionem; quo
 conatu cum non semel depulsi fuissent, tandem occasionem &
 rem natam nacti, Regis animum a subditis Protestantibus &
 fidei quibusque avocarunt, arma cepertunt contra Regnum &
 Parlamentum Angliæ, & totis viribus & artibus horribile &
 inter necnum excitantur bellum, sibi spondentes fore ut exitialis
 insuperstitio

(12)

superstitio & idololatria in locum Protestantis religionis reponetur; & Rex, regnaque quibus imperat, Papæ mancipentur: Declaramus, quicumque in armis sunt aut fuerunt Papistæ falso obtentu custodiendi Regis personam & asserendi auctoritatem ejus, nullam spem veniæ apud nos sperare debere; in eos statutum iri, uti rebelles & publicos hostes. Pari condemnatione involvimus Hibernos rebelles, aliosque Anglos sive sint Protestantes sive Pontifici qui relicta Hibernia arma sociaverunt adversus regnum & ordines Angliæ.

Denique, cum quidam Regi intimi & assidui, spiritu, ut credere est, Satánico afflati, perniciosâ consilia ei semper suggererint, quibus Regia Majestas vapularet & contemptui esset, cum apud exteros, tum apud suos; Cumque indefinenter seduli & acres fuerint in alendis discordiis & Pontificiis subservierint, in accendendo hocce bello, quo tanto divortio disident ordines regni & una fidi quique subditi a suo Rege; atque ad auctarium facem semper prætulere acerrimam ad pertentandos & perduccendos alios, ut malignitatis spiritu perinde acti, pariter turbas, discordias, cædes, & strages concitarent ederentque. Hisce, quos supremæ Curia utriusque regni stiterint, vel ab eis delegatus privatus selectiorum Senatorum conventus, reos pertraxerit coram tribunali, quibusque horror conscientia facti omnem spem veniæ præcidit, unde necesse habeant prava instrumenta machinationibus catenatis usque turbare, donec Religioni & Reipublicæ ruinam accerferint: Hisce, inquam, ad exemplum & terrorem in posterum incutiendum, eodem modo animatis, denuntiamus extrema quæque, uti hominibus maleficis de graviore nota, reis læsæ Majestatis & infensissimis hostibus religionis & reipublicæ. Præterea declaramus, integra hæredia & bona mobilia & immobilia, tum obnoxiorum, quibus gratia fit partis bonorum, si intra calendas Martias ad bonam mentem redierint; tum eorum quibus nulla gratiæ venia conceditur, e quorum numero sunt Hiberni rebelles, & qui ultimo loco nominati sunt, fisco adjudicatum & confiscatum iri; quo publica nomina liberentur, & onera regnorum alleventur, atque privatorum damna refarciantur.

Hactenus declaravimus, haut sanè ad jactantiam, confisi armis & viribus propriis, sed solo Dei auxilio mixi & pro ratione partium

(13)

trium nostrarum & provinciæ quam in Ecclesia Dei & Republica
 sustinemus, atque salutis publicæ quam rebus nunc turbatis, nostræ
 curæ demandatam a bono Deo nihil addubitamus: Quocirca,
 pensitatis maturo iudicio rationibus, & seria consultatione & de-
 liberatione a nobis instituta, decrevimus & constituimus apud nos,
 armis usque decertare, donec pax & veritas stabilita fuerint in hac
 insula, resque Ecclesiæ & reipublicæ compositæ fuerint, ad gratam
 præsentibus & posteris securitatem; nec aliud periculorum quæ
 subiimus præmium aliumve laborum nostrorum fructum expecta-
 mus & rogamus Deum optimum maximum.

Epistola

(15)

**Epistola Reverendi Coetus
Ecclesiastici, tum Theologorum
Anglorum, tum Delegatorum ab
Ecclesia Scotiana,**

A D

**Varias Ecclesias reformatas in Gallia,
Belgio, Helvetia &c. Scripta, autoritate &
decreto Amplissimæ Camerae seu Domus, quam
vocant Communium, in Ordinum Regni
confessu confidentium.**

P *Astores, Doctores, ceterique, tum Angli Deputati
in Coetum Ecclesiasticum, autoritate & decreto
utriusque Camerae, seu Regni Parium & Municipum
in Parlamento confidentium, coacti; Tum Scoti
à conventu generali Ecclesiae Scoticae ad eundem
Coetum allegati; Salutem plurimam vobis dicunt, & gratiam
pacemque à Deo precantur.*

Haud dubitamus, quin calamitates, sub quarum onere non tantum ingemiscunt sed & pene obruuntur Ecclesia & regnum Angliæ, ad vestras aures jam pridem pervenerint; nam proculdubio Antichristi Negotiatores, pari sedulitate apud vos artifices extitere ferendæ in nos invidiæ, quâ alibi locorum detorquent in grande crimen opus reformationis; quod secundum Dei verbum aggredimur, & arma quibus vitam hanc precariam tuemur, contra molientes excisionem Protestantium Religionis, & ruinam Reipub. atque sævientes ferro & flamma in intima Regni viscera. Quo magis, est quod desideremus in nostra innocentia saltem excusationem tam diuturni silentii, qui hactenus rerum nostrarum deplorandam conditionem vobis non exposuimus.

C

Verum

(16)

Verum a fratribus veniam poscimus & expectamus ubi resciverint magnitudine doloris nos prapeditos fuisse; & ex quo in Cœtum coivimus usque adeo tremoris poculo, quod bibendum exhibuit Deus, attonitos fuisse, ut plane nostri officii nescii fuerimus: Jam cum non tam spatium spirandi, quam penitus cognoscendi morbum qui nos attingit, detur facultas, liceat familiari compellatione exonerare in sinum vestrum dolorem qui nos urit, vobisque exponere calamitates, quas perpessi sumus ab Antichristi sectatoribus, quorum hic labor, hocque opus fuit, sanctum reformationis opus retardare, & in ejus locum, Papismi crassiores fæces reponere: In quo quidem conatu, tantum profecerunt, ut nisi Deus, cujus judicia sunt inscrutabilia & misericordiae nec metis nec methodo circumscribuntur, operam præsentissimam afferat, funditus periimus.

Non vos latet, quantum hac viperina progenies contulerit ad ruinam parandam Ecclesiis reformatis extra Angliam; quam promptis animis accincta fuerit in excidium Palatinatus, & jacturam Rupellæ perfidè prodita; quantumcunque sub specioso prætextu legationum & negotiationum, pacem obtenderet, obsequisque & ad incitas redactis, subsidium sponderet; cum tamen re ipsa calamitates eorum foverit, auxeritque. Tantoque magis odium, quo id genus hominum vos prosequitur, conspectius est; quod eorum plerique calumniose exagitent vestras Ecclesias, tanquam spurias & nomine tantum tenus Ecclesias, legitimaque ad sanctum munus cooptatione destitutas, ut quæ Præsulem non admittant, sine quo, si illis fides, ordinationem quancunque, irritam esse temerarie affirmant.

Texenda nobis est longior commentatio, non Epistola, si singulos actus artesque percurreremus, quibus male ingeniosi homines usi sunt, cum in Magna Britannia, tum in Hibernia, in tentanda everfione doctrinæ Protestantium stabilitæ, & substitutione in ejus locum Pontificiæ Religionis; Hic enim nihil non intentatum, nihil non expertum reliquerunt; quin in plurimis voti competes fuerunt: quoque rem gnaviter satagerent, nec quicquam ullibi obfaret nefando operi promovendo; sedulam operam navarunt ut Pontificii legibus sancitis, quibus in arctum cogebantur, solverentur; caverunt ne Judices in damnatos lege patriâ Sacrificulos,

Jesu;

Jesuicque
potiusNec lev
fundarent

collegia tr

Coryphæ

vilique,

damnis a

pena ite

contra h

secreta

bus ha

profes

perlec

erant

plebis

palia d

bus,

rum r

vatione

Hinc f

grande

sine cir

verò, fid

religio e

concion

librum.

Dominic

bus, illa

hominum

inter vos

quod hor

novumqu

quos ubi

Papalibus

atum p

vertet;

(17)

Jesuitasque, sententiam, seu exilii, seu mortis ferrent; liberarent potius.

Nec leves fuerunt artes in Anglia, Hiberniaque, ut Cœnobicia fundarentur, & Juventus, quæ Pontificia religione excoleretur, ad collegia transmarina allegaretur: Sub iisdem auspiciis, Papistarum Coryphæi, quantumvis non permittat lex, in Aulam admissi, visique, in curia officia capeffere: Plurimi eorum soluti sunt damnis a legibus denunciatis; cautumque ne in delictis præteritis pœna statueretur, neque in futuris culpa censeretur: Invisi qui contra hiscebant: Missi Roma nuntii & negotiatores, quibuscum secreta colloquia habita: Intimi ii & in Aula favore validi, quibus hæc arridebant: at qui repugnabant fidi purioris religionis; professores, seu verbi Divini Ministri, seu alii, male multati, & persecutionibus afflicti: Quæ quidem usque adeo manifesta erant, ut Præsules eisque addicti Curiones, pro suggestu animos plebis inficerent Papismi fermento; omnia propemodum Papalia dogmata; nisi forsân illud de primatu Papæ in tempo alibus, docerent; Divinumque cultum mixturâ farraginis novorum rituum commacularent; plebem adigentes ad eorum observationem; reluctantes vero fulmine censurarum amburentes: Hinc factum ut multi religionem lucro æstimantes, rebus suis grande compendium crediderint, non ultra ficum facere, sed sine circuitu se ad Religionem Romanam aggregare: Multis verò fidelibus verbi Divini Ministris, ora obturata sunt, quod eis religio esset, rogatas superstitiosas constitutiones amplecti, & pro concione ad plebem recitare pessimi exempli, pejorisque moris librum, superiorum permissu editum, quo dabatur licentia, die Dominica in eos lusus expatiari, quos ne quidem profestis diebus, ulla reformatæ Ecclesiæ admittunt: Ex eo multa millia hominum alio convalavere; pars in Americam delata, pars inter vos sedem posuit. Grave est, quanquam irrito conatu, quod homines male ferati, nupere tentaverint, novum rituale novumque librum Canonum obtrudere fratribus Scotis; quos ubi respuisset gens domus Dei Zelo calens, & ab omnibus Papalibus reliquiis, ut quæ maxime, aversa, Regis serenissimi animum perpulerunt, ut tanquam in perduelles & hostes animadverteret; armis compelleret ad recipiendum, quod admittere,

(18)

conscientiæ dictamine præpediebantur. Secundum hæc numerosus exercitus adversus Scotos ducitur; latis in sinu & acribus accendendo bello Pontificiis, & Pontificiæ religioni addictis: operamque & oleum conferentibus, quo Regis optimi animus in suscepta expeditione firmaretur, seque infensum consiliis pacis gereret; atque ei pecuniam, belli nervum, suppeditantibus: Sed antequam ad manus veniretur, placuit Deo, Regi inspirare hanc bonam mentem, ut Comitia regni Angliæ ediceret; quibus intercessoribus factum est, ut constiterit de fratrum innocentia, & de injuria illata ab hostibus veritatis; paxque inter duo regna contabiliretur; alioquin invicem secum commissura & in mutuas cædes exarsura; Quin ex occasione discordiæ, facta est firmitior animorum consociatio, & concordia inter fratres redintegratio; usque adeo ut, Deo aspirante consultationibus Delegatorum utriusque regni, & concurrentibus votis bonorum per Universam insulam, quibus idem Deus dederat lugere peccata præterita, & serio ad se reverti, atque desiderio purioris religionis flagrar; affulserit spes repurgandi domum Dei, nemine contradicente, saltem obstante, liberatosque nos crediderimus, ac diebus afflictionis, deinceps successuros dies refrigerii.

Sed rem longe aliter se habere comperimus; nempe Deus qui secretis tantum plagis hæctenus nos officii monuerat: nunc Leonis instat rugientis bellum peccatis nostris apertum indicit: Sit nomen ejus benedictum: graviora passis, utcunque graviora paret exitiumque afferat, gravissima quæque nos esse commeritos ultro fatebimur; justum prædicabimus; virgam pœnas exigentem exosculabimur; attamen in ejus amore & ope, quam affuturam tempore opportuno confidimus, conquiescemus: Nec per ea quicquam detrahi volumus de gravitate horrendorum peccatorum, quæ prioribus delictis cumulum adjiciunt.

Hi ergo conatu res innovandi in Scotia depulsi, ferocius tanto inveci sunt in Parlamentum, totum; circa reformationem in religionis negotio promovendam, intentum: prompti fuerunt in omnes occisiones, ut Regis animum avocarent a Parlamento: Regia facilitate confisi, crimina in se intentata eluderent, & in Hibernia excitarent rebellionem, in qua, si fides est ipsis Pontificiis, qui ejusmodi clades, tanquam opima spolia, jactant, centum

(19)

tum Protestantium millia ad necem data sunt : Quin ipsis authoribus, Rex selectos aliquot Senatores ex utraque Camera, postulavit reos criminis Majestatis, & armata manu comprehendere tentavit, nec instare desierunt, quin perpulerint ut, deserto Parlamento, aliò secederet, & conscriberet exercitum extrema quæque minaturus : Qui quidem exercitus ad fucum faciendum, edicto ad id promulgato, circa initia conflatus fuit, aut potius conflare creditus, solis Protestantibus & in causam Protestantium; ad cujus exercitus signa, nihil subdoli latens timentes Protestantes, alioquin Regiarum partium sequaces, agminatim confluerent, nam mox fraus patuit; Pontificiis tam qui in Anglia, quam qui extra Angliam, assiduis precibus & votis supplicantibus, ut causæ Catholicæ in Anglia agitæ felix successus responderet, & quandoque jactabundis, in hac erumpentibus; brevi postea non amplius locum futurum dissimulationi, se statim affuturos in armis a Regiis partibus, quam primum Protestantes in easdem partes tracti fuerint magno numero, & eis haut tutum, nec specie honorificum referre pedem, fuerit: quod & eventus comprobavit; nam ingens multitudo Protestantium, quorum pars sub obtentu conservandæ religionis lege assertæ, tuendæ regalis prærogativæ illibatæ, & privilegiorum Parlamenti intra præscriptos cancellos continendorum: pars vero perduellioni, peculatu obnoxia, eoque nomine a suprema Senatus Curia in crimen vocata, aliique sibi male conscii, cum tota colluvie ganeonum, erronum, aleatorum & ejusmodi farina hominum quibus ex raptò dulce est vivere, nec Religio curæ est, in partes Regias ex æquo concessere: quos proxime exceperè, si non armis, saltem voto & pecunia, Episcopi illisque adjuncti Decani, Archidiaconi totaque cohors Novatorum quibus faeces Papales cordi sunt: Tum demum omnes Pontificii, quos capit hæc insula, quibus ad benevolentia indicium nulla hæctenus injuria illata; quin & non nullibi gratia facta, missaticos cætus publicè frequentandi: Protestantibus interim, etiam minus faventibus Parlamento, dura passis; prodire in arenam muniti Regio diplomate, & promissis deliniti, fore ut pro armis si quæ deperderent pretium exolveretur; eorumque primarii ad præfecturas acciti: Et ne quid causæ Catholicæ promovendæ deesset, largum auctarium Militum, pecunia

(20)

nia & comneatus accessit ex Nationibus transmarinis, quibus aquitatem causæ suæ fūco mentiti fuerant. Hac hominum im-
mensa manu, hisque subsidiis, horrendum dictu, quantam, quam
latam edant stragem; quibus & quot depraedationibus, incendiis &
cædibus, totam Anglam compleant, & addictos causæ purioris
religionis, persecutionibus affligant.

Porro, quanquam Suprema Curia omnem lapidem movisset,
ut regni propugnacula, classisque, tutis manibus committeren-
tur, & necessario bellico apparatu conquisito, se suaque prote-
geret, adversus furorem istorum belli incensorum, qui Regio
nomine abutentes legem, libertatem & religionem abrogatum
ibant. Ea tamen fuit hominum prava solertia, in sensibus abscon-
dendis & pratexendo speciosas causas ausis suis, an potius ea
fuit iusta ira Dei excandescens in nos abulos longiusculam
pacem, ut hætenus nihil postulatis, libellis supplicibus profecerim-
us, quo Regem ex impiorum manibus, seu subduceremus, seu
eriperemus, eosque coram supremo tribunali sisteremus, pœnas
debitas persoluturos: quin per totam Angliam fax belli est
accensa: Ad cumulum miseriarum eo pertraxerunt Regem, ut
non solum Hibernos Rebelles appellatione subditorum, *Romano-
Catholicorum, nunc in armis &c.* dignaretur: sed & eis indulgeret
inducias in duodecim menses, eâ potissimum tempestate quâ
res eorum conclamata erant: per quam quidem armorum ces-
sationem, gens nata ad occisionem, & qua non alia crudelior
& immanior, milite, pecunia, armis & comneatu locupletata
nacta sit viam compendiosam, male parta pessimè retinendi, &
quod ibi reliqui est Protestantium absumendi, ventitandique in An-
gliam; in qua, quod in præsens agunt, trucident Protestantes, pari-
laniena, cum carnificina, quam in Hibernia inter Protestantes
exercuerunt.

In hac rerum nostrarum miseranda facie, inter tot luctus &
ejulatus; Rege aduerso votis & inceptis nostris, per fraudem &
nequitiam aduersariorum; utraque Camera Procerum, confi-
lium a nobis poscit super reformatione Ecclesiæ: quoque nego-
tium feliciter procedat, nos convocavit in Cœtum, deliberaturos
de repurganda nostra Ecclesia, impuritatibus & humanis com-
mentis & additamentis; deque constituenda reformatione ex
præscripto

(21)

præscripto verbi Divini, eaque uniformi per omnes ditiones Regis nostri, ac quantum fieri poterit ad normam Ecclesiarum purioris notæ, accedente; cui operi incumbere corpinus non infeliciter cum bono Deo, jubente ne parvorum dies contemptui sit.

Hactenus, Fratres reverendi & dilecti, habetis in brevi quasi tabella imaginem an potius umbram, in qua rudi penicillo exprimitur, quæ lugenda sit nostrarum rerum facies: Libertas nostra proculcata, bona direpta & dilapidata, domus effractæ, sanguis in terram effusus, aliaque charissima adempta; tot sunt plagæ, quæ in nos quasi fœdere facto irruunt: Si Deus velit hæc corpora alga viliora ad terram dari & pedibus conculari, fiat ejus voluntas: Quicquid pateremur; quin, libenter totum sanguinem profunderemus, dummodo, quod superest sanctorum a furore Antichristi affectarum vindicaremus, & per nostrum latus, religionem saniorem vulneratam, & cum ea impetitas Ecclesias omnes reformatas, extra periculi aleam, assereremus. Nam quod gravissimum est, & quæ est adversariorum rabies, haut sanguine nostro satiata, non tam accensa est in nos qua peccatores, quam quia veram religionem profiteamur, tuemurque; eoque vota conatusque conspirant, ut toti vacemus reformationis operi. Quod si Deus nos ad prædam exponeret, eorum dentibus confringendos; tremendum relatu! quam opacis tenebris, vinculis arctis, & persecutionibus sævis involverentur, quotquot inter nos reculerent charactere bestia signari? Et quid non vobis conjicere datur, passuras ad exemplum reliquas Ecclesias reformatas a bestia ex abyssu ascendente; nec non a muliere, quæ jam dudum sanguine sanctorum inebriata, tanto atrocius nunc persequitur chorum virginum agni comitem, antequam in exitium ruat?

Ordines & Ecclesia regni Scotia nullum officium studii & benevolentia erga nos prætermiserunt quo conflagrans apud nos incendium restinguerent, Regiam Majestatem postulatis Declarationibus & libellis supplicibus, quam vel mollirent vel flecterent, adiverunt: mox sequentes pacis & intercessores se obtulerunt: tandem ubi Regis aures nullis consiliis, hortationibus & precibus patere animadverterunt; mutuo se fœdere cum Ecclesia & regno Angliæ devinxerunt, armaque fœderata sociarunt pro
communi

(22)

communi causa Religionis propugnanda, pro incolumitate Regis, ejusque Regia dignitate & autoritate asserenda, atque vindicanda patria Libertate, adversus sceleratam factionem, ut fufius habetur in Declaratione, Scotorum nomine edita, & in solemnifœdere trium Regnorum; quibus luce meridiana clarius boni quique viderint Scotorum pectus fidum & candidum, & nullis finitris interpretamentis & suspitionibus obnoxium. Autoritate illius regni missi sunt Delegati quorum nomina posterius subjuncta sunt, ut sub auspiciis ordinum Angliæ partem Cætus Ecclesiastici constituent, operamque in commune conferant, pro stabilienda uniformitate religionis in utroque regno: Secundum quæ, iidem Delegati per præfentes vobis notum faciunt, quam alacribus animis, hic conspexerint coronam amplissimam tot virorum doctrina, pietate, & prudentia præcellentium: quos offenderint occupatos circa ædificationem domus Domini & jacienda fundamenta doctrinæ & disciplinæ: quo nomine, & pro ratione Christianæ charitatis, qua colliguntur, & fœderis inter Anglos & Scotos initi, obstrictos se reputant id operæ sociare cum fratribus Anglis, in compellendis pariter reformatis Ecclesiis, extra magnam Britanniam: eis exponentes quæ sit hic rerum turbatarum conditio, ut falsis rumoribus & suspitionibus eatur obviam.

Quod superest, id primum rogamus, fratres, ad quorum æquitatem provocamus, ut ex æquo & bono de nobis & afflictâ causa judicetis, nec aurem accommodetis iniquis adversariorum judiciis; neve apud vos vapulemus, tanquam rebelles, & arma sumentes contra proprium Dominum; quibus decretum sit apud se Regiam dignitatem & autoritatem arctioribus cancellis concludere; atque ad epimetrum, anarchiam in Ecclesiam Dei introducere: quas calumnias vel apud trahentes in sequiorem partem, adeoque nullum pondus habituras apud impervios finitris suspitionibus, abunde diluet fœdus Nationale, cujus apographum ad vos mittimus: nempe non satis fuit filiis Belial concitasse Regis iram in nos, nisi insuper Regio nomine abuterentur, ut manus effugiant Supremi Senatus a quo postulantur Læsæ Majestatis, violati juris municipalis, & religionis corruptæ. Adversus ejusmodi homines contestamur & profitemur arma a nobis sumpta; justamque defensionem

(23)

fensionem a nobis oppositam eorum armis : Judicet justus Dominus, cujus non ulterius opem poscimus, quam quatenus hæc a nobis sunt sincero animi affectu allegata: Faxit Deus, ut fratres hæc serio animo voluent, eisque innocentia nostra probetur, quam apud suos prædicent.

Proxime precamur, fratres, dignemini, in consimili causa, in qua gravia perpeffi estis, nobiscum *sympartiri*; etenim id erit agritudinis animi maximum lenimentum, suavisque doloris absterfio lugentibus, persentiscere fratrum viscera commo- veri malo nostro, eosque, tanquam membra Christi, indolere casibus aliorum, qui perinde ad constitutionem corporis ejus pertinent.

Denique, obtestamur vos; quemadmodum Antichristi sectatores, adversariorum nostrorum causam agnoscunt suam, sovent omnibus modis, & ampliant; in nostram vero ruinam in commune consultant; sic, quam sustinemus causam, reputetis vestram: Vix enim fieri potest, ubi semel absorpti fuerimus, quin periclitemini: neque enim pugnatur adversus homines; sed ipsa professio veræ religionis, & pietatis vis oppugnatur. Rationes quibus nostram causam possitis prædicare vestram, relinquimus vestræ prudentiæ. Unum sine conditione petimus, nempe, preces vestras, tum in publicis vestris cœtibus, tum in privatis secessibus, ut Deus, cui solenne est exaudire preces, contractis brachiis carnis, quibus nimis securè innitimur, salutem reddat nobis, & cum pace veritatem afferat, ut e tribus regnis, *unum lignum in manu Domini fiat*; ob oculos ponat prototypum, seu exemplar reformationis Ecclesiæ, congruens cum norma Scripturæ; Ecclesiis jam reformatis de puriori nota conforme; atque idoneum servandæ concordiæ inter Anglos & Scotos; quem typum nostris Zerobabelibus commendemus; nec tam instrumenta vilesque operarios, quos operi admover, respiciat, quam ipsius operis dignitatem, cui incumbimus. Audiatur Deus flexus precibus vestris, ut coram nobis montes in planum deducantur; & qui conspiciunt nos in manu habentes perpendicularum, intueantur juxta lapidem in apice domus Dei positum, & junctim plaudant, clamentque, *Gratiam, Gratiam*.

Hæc habuimus, quæ vestris Reverentiis, sanctisque de gregibus, vestræ curæ commissis exponeremus, de rebus nostris; sic jubente

D.

jam

jam per se animatos, Amplissimâ Camerâ Communium; quorum,
totiusque Coetus Ecclesiastici nomine, plurimam salutem in Do-
mino impertiuntur

Vestris Reverentiis addictissimi fratres,

Gulielmus Twissus, Coetus Moderator.

Cornelius Burges, Assessor.

Ex Anglis *Job. White, Assessor.*

Henricus Robrough, Scriba.

Adoniram Byfield, Scriba.

Job. Matellanus.

A. Johnstonus.

E Scotis *Alex. Hendersonus.*

Samuel Rutherfordius.

Robertus Baylie.

Georgius Gillespy.

Fœdus

Fœd
tuo

Pro r

N

dem re
habeat
mini a
ejusque
tem, in
singulor
in memo
conjurat
versus p
Centum
retro reso
corum su
increveri
genda con
scatorum
(subrato

(25)

Fœdus solenne, quo se mutuo devinxerunt, Angli, Scoti, & Hiberni:

Pro reformanda religione, afferenda Regia dignitate, & vindicanda patria Libertate.

(Versio verbatim ex Anglico, eoque dictione asperior.)

Nos, Proceres, Barones, Equites, Generosi, urbium & oppidorum municipes; Evangelii Ministri; populusque, omnis conditionis & ordinis in Anglia, Scotiâ & Hiberniâ, quibus per providentiam Dei, sub uno Rege, in eisdem reformatæ religionis professione, vitam agere datum est; habentes ob oculos gloriam Dei, incrementum Regni Domini nostri & Salvatoris Jesu Christi; Regiæ Majestatis ejusque posterorum, felicitatem & decus; nec non libertatem, incolumitatem, & pacem publicam; (quibus privata singulorum conditio & salus includuntur) Revocantes etiam in memoriam proditorias ac sanguinolentas machinationes, conjurationes, cepta & incæpta nefaria hostium Dei adversus puram religionem, & ejusdem professores, ubique Gentium; præsertim vero in tribus hisce regnis a prima retro reformatione, ad hodiernum usque diem; quantumque eorum furor authoritas & fastus, non ita pridem, hodieque increverint & se exeruerint; ut luculenter testantur lugenda conditio Hiberniæ, res Anglorum afflictissimæ, & Scotorum res dubiæ & in præcipiti; Tandem aliquando (frustra toties alia remedia, supplicando, remonstrando, protestando.

(26)

testando, experti & gravia passi) juxta commendabilem horum regnorum pristinum morem, & populi Dei alibi gentium exemplum, ne funditus periremus, unaque religio pessumdaretur; decrevimus & constituimus apud nos, seriâ prius consultatione & matura deliberatione adhibita, mutuum pactum & sœdus inire ac percutere, cui unusquisque nostrum pro semetipso nomen apponit, & in illud manibus ad Deum protensis, sancte jurat, ut in sequentibus habetur.

I.

Unumquemque nostrum, aspirante Divina gratia, daturum operam, quantum fert cujusque nostrum ordo & statio, ut tueatur religionem reformatam in Ecclesia Scoticana, in doctrina, cultu, disciplina & regimine, adversus communem hostem; & molia-tur, tum in Anglia, tum in Hibernia, reformationem, quæ in doctrina, cultu, disciplina, & regimine, congruat verbo Dei, & exemplari Ecclesiarum de puriori nota reformatarum; quantumque in se erit enitatur, ut Ecclesiæ Dei, per hæc tria regna, in religione, confessione fidei, formâ regiminis Ecclesiastici, cultus Divini normâ, & cateheticâ formulâ, quam proxime sint uniformes & conjunctæ, ut unusquisque nostrum & posterit nostri, nobis rebus humanis exemptis, fratrum instar, fide & charitate sociati, vivamus, & Deus in medio nostrum volupe ducat habitare.

II.

Pariter & citra personarum respectum, nos enixuros, ut Papismus, Præfulatus (i. e. regimen Ecclesiæ per Archiepiscopos, Episcopos, eorum Cancellarios, & Commissarios; Decanos, Decanos & Capitula, Archidiaconos & omnes alios Officiales ex ista Hierarchia dependentes) superstitio, hæresis, schisma; denique quicquid profanum, quicquid sanæ doctrinæ & pietatis efficacix contrarium esse comperietur, radicitus extirpetur; ne cum aliis hominibus, peccatorum consortes, earundem plagarum participes simus, utque in tribus hisce regnis Dominus sit unus & nomen ejus unum.

III.

Pari sinceritate, veritate & constantia, unumquemque nostrum in sua cujusque statione & munere, mutuam daturum operam,

vel

(27)

vel facultatum & vitæ propriæ dispendio, ut Parlamentorum Jura & privilegia, regnorumque immunitates asserantur; Serenissimi Regis persona & autoritas, salvâ religione & publicâ libertate, serventur & defendantur; ut toti orbi innotescat nostra fidelitas; cujus & propria conscientia testimonium perhibet, diciturque, nihil nobis animi & consilii esse, ut quicquam detrahamus de justa Regali autoritate & amplitudine.

IV.

Nec minori fide & conatu duros operam, ut qui fuerunt & posthac erunt, incendiarii, artifices malorum, prava instrumenta, dum vel reformationem retardant aut impediunt in religionis negotio; vel Regem a populo & regno a se invicem dividunt; plebemque in factiones ac partes scindunt, ut quidpiam moliantur, quo huic fœderi contraveniant; detegantur, & in judicio sistantur; penas daturi, quas debitas, pro sua prudentia, supremum Tribunal, seu Angliæ, seu Scotiæ, vel ab eo ad id muneris delegati, pronuntiabunt.

V.

Porro, quandoquidem fœlix, & fausta pax a Majoribus nostris, diu multumque optata, per beneficam Dei providentiam, concessa nobis fuerit, & nupere ab utroque Parlamento rata & stabilita fuerit; unusquisque nostrum paciscitur se omnem daturum operam, ut quoad tulerit uniuscujusque ordo & statio, hæc firma pax & ærcta unio inter regna, transmittantur ad posteros; eisque pertinaciter infensi, commerita supplicia luant, quemadmodum in superiori paragrapho dictum est.

VI.

Insuper pro virili & statione, quam Deus nobis assignavit, in communi hac causâ religionis, libertatis & publicæ pacis, spondemus & juramento nosmet ipsi astringimus, protectum & tutatum iri auxilio nostro & opera, omnes eos qui hocce fœdus nobiscum pangunt, quatenus id factis implent; vovemusque minime passuros nos, ullâ, quæcunque ea sit, combinatione; ullâ, seu comminatione seu persuasione, ab hac fœlici unione & conjunctione abstrahi, aut ita divelli, ut ad partes adversas deficiamus, & in causâ quæ usque adeo tangit gloriam Dei, Regnorum fœlicitatem, Regisque dignitatem, mediis, dubiisque partibus, in detestan-

dâ

(28)

dâ indifferentiâ, perstemus; quin potius totos vitæ dies constantè & Zelo Dei calentes, adversus hostium conatus & insultus in ea uniõne permanfuros, eamque promoturos pro viribus, quicquid contra obtulerit; atque, si quod impedimentum se obtulerit, quod ipsi superare & suppressere nequeamus, maturè palam facturos & indicaturos, ut in tempore ei obviam eatur, idque amoveri possit. Quæ quidem omnia pro fitemur, tanquam in conspectu Dei præstitum iri a nobis.

Denique, quoniam hæc regna rea sunt multorum & gravium peccatorum, quibus tanquam irritamentis Deum offendimus, ut testantur quæ patimur mala & impendentia capitibus judicia, peccatorum veros fructus; serio profiteamur & palam facimus coram Deo & toto orbe, sincerum nostrum desiderium animas affligendi, ut humiliemur propter peccata, tum propria, tum quæ passim regnant & grassantur per hæc regna; potissimum, quod non tanti fecerimus quanti debuit, inestimabile beneficium Evangelii; neque anxii & solliciti fuerimus circa adeptionem puritatis & efficaciam ejus; nec graviter studuerimus, ut Christum cordibus reciperemus, & in ejus viis diligenter ambularem; Unde tanquam è fonte, qui scatet inter nos; tot peccata & transgressiones emanarunt. Itaque statutum est, apud nos, curæque nostræ commissos, tum publice, tum privatim, in omnibus officiis, quæ Deo, aut hominibus debentur, mores nostros emendare, & certatim alios aliis exemplo veræ reformationis præire & prælucere, ut dignetur Deus iram suam & indignationem longe gravissimam avertere, & pacem ac veritatem in hisce regnis stabilire. Atque hoc sædus paciscimur coram omnipotente Deo cordium scrutatore, ex animo, & eo animo præstandi quod vovemus, prout, die illo tremendo, quo omnium secreta revelabuntur, responsuri sumus; humillime & submissis poplitibus rogantes Deum, velit nos suo Spiritu corroborare, vota & conatus

(29)

conatus nostros successu felici secundare; qui populo suo salutem & res in tuto collocatas reddat; detque animos, nostro exemplo aliis Christi Ecclesiis sub jure Antichristiane Tyrannidis gementibus, se pariter invicem, hoc vel ejusmodi fœdere devinciendi, quo gloria sit Deo, regnum Christi amplietur, & pax affulgeat Christianis Regnis & populis.

F I N I S.

Pag. 6. lin. 14. lege, famam prodigamus & sacrum.
Pag. 22. lin. 30. lege, trahentes omnia in sequiorem.

... ..
... ..
... ..
... ..
... ..
... ..
... ..

F I N I S

... ..
... ..